



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuitur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

298 Docendi mercedem non esse Simoniacam, sed pro beneficio docere  
Simoniacum esse.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

bor docendi cum ecclesiastico beneficio permutari. Nam si beneficia dumtaxat inter sese permutari possint, non autem beneficij cum alio iure spirituali permittatur permutatio, sicuti diximus, nullo modo labor docendi seu Theologiam seu quamlibet etiam scientiam permutari poterit cū beneficio, quicquid tandem sibi velit Panormitanus ad c. quia nōnulli. de magist. & ne quid exig. pro licent. docen. quem iustissimè reprehendit Nauarrus in Enchiridio suo Confessoriorum. cap. 23. nu. 100. in explicatione definitionis vitij Simonia. Quanquam Nauarrus ex alia ratione Panormitanum reprehendit; ex hac nimirū, quòd labor docendi non sit aliquid spirituale quantumlibet circa Theologiam versaretur; ideoque Simoniam non committi dum pecunia seu salarium pro labore docendi recipitur; Panormitano post Hostiensem scrupulos inaniter iniiciente, quasi spirituale quid esset labor docendi, & per consequens ita Simonia crimen incurreretur per mercedis acceptionem; sed è contrario non fore Simoniam, si beneficium permutaretur cum labore docendi è quòd spirituale cum spirituali rectè permutari possit: cū tamen prorsus inuertenda sit oratio; quandoquidem cū docendi munus non sit aliquid spirituale, Simonia non erit aliquid pro munere illo recipere; sed Simonia committeretur si labor docendi pro beneficio rependeretur. Quale factum seu qualem conventionem DD. nostri parum propriè vocant per-

297

Labor docendi possitne cū beneficio commutari.

298

Docendi mercedem nō esse Simoniacam; sed pro beneficio docere, Simoniacum esse.

permutationem, cum sit potius *facio ut facias*, hoc est, doceo ut beneficium conferas. Hæc intellige si beneficium per se non habeat annexum docendi laborem.

299  
Resignare  
causa permuta-  
tionis ex-  
pressa licere,  
sed in fauorē  
coram ordina-  
rio non licere;  
& quare.

Ait Pont. *Ex causa permutationis resignata*. Norant hinc Interpp. post Glossographum, resignanti beneficium licere nominatim hoc exprimere, non simpliciter sese sed ex causa permutationis resignare; quantumlibet in fauorem simpliciter coram ordinario resignare quis nequeat citra Simonix periculum sicuti copiosè declaratum fuit ad cap. cum olim. de permut. Ratio diuersitatis est quòd permutatio beneficiorum propter causas iam sæpius inculcatas iure tandem fuerit permessa, successionis verò species omnis omnino damnetur nisi quatenus Pontifex ipse summus resignationes in fauorem probauerit.

300  
Tractatus de  
permutandis  
beneficiis.

Ait Pont. *Permutare volentibus. &c.* Ex hoc item loco rectè nostri colligunt iure permisum esse tractatum de beneficiis permutandis, tametsi permutationis contractum perficere beneficiari per sese soli nequeant sed auctoritas seu consensus requiratur superioris, immò non consensus tantum, verum etiam tum resignationis acceptatio tum deinceps beneficiorum hinc inde sic resignatorum collatio, quod quia plenissimè prosequuti sumus in superioribus capp. hinc pertinentibus explicandis, hic operosiores non erimus.

Ait Pont. *Conferantur, &c.* Diximus ad Bonifacianam, quinam sint illi superiores partim  
iure